



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1624. usque ad annum 1627

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1778

VD18 90118863

§. 70. Mulhusianus Electorum Conventus ad Germaniæ pacem
reducendam habitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67369)

Sæc. XVII. extorres esse compellerentur: cante
 Sæc. 1627. autem silentio presserunt hi Legati,
 quod Lusitanæ Princeps unacum Con-
 juge, liberisque suis ex Hollandia Bru-
 xellas nuper exulare coactus fuerit, eo-
 quod fidem Catholicam profiteri, a Bata-
 vis prohiberetur. Cum ergo ex tumidis
 hisce Legatorum responsis probe cognos-
 ceretur, quod hi nil nisi Cæsarem in-
 juste accusare, eique minus æquas pe-
 cis conficiendæ leges dictare intendi-
 rent, nullatenus autem Catholicam Re-
 ligionem in Palatinatu admittere, aut
 bona Ecclesiastica restituere vellent,
 hinc continuo Imperator tractationem
 abruptit, rescripsitque Wirtembergensi
 Duci, quod ipse, si Palatinus hisce con-
 ditionibus insistere vellet, licet in
 aliis mediis tranquillitati publicæ pro-
 specturus esset.

§. LXX.

*Mulhusianus Electorum Conventus ad
 Germanicæ pacem reducendam
 habitus.*

Adlr. An- Magis æqua reddendæ pacis medi-
nal. Boie. perabantur ab alio Imperii Ele-
part. 3. l. 12. ctorum Conventu, qui die decima no-
Nam. Hist. na Octobris Mulhusii, Turringiæ oppor-
Venet. l. 6. do habebatur. Adfuit nomine Cæsar-
Barre Hist. ris Petrus Stralendorffius Pro-Cancel-
d' Allem. t. 9. larius

larius, & Hermanus Queftenbergius. Sæc. XVII.
 Moguntinus quoque & Saxo Electores A.C. 1627.
 ipsimet, ceteri vero Electores, Imperii
 Principes, plurimæque urbes per suos
 Legatos interfuere: ut autem Daniæ
 Rex & Palatinus suos ablegarent Ora-
 tores, nulla ratione impetrari poterat.
 Primo confessu Cæsaris Legatus fufius
 exposuit, qualiter ob Bohemorum re-
 bellionem a Sectariis motam, atque ab
 eorum fautoribus auctam Imperium ac-
 cerrimis discordiis & factionibus misere
 dilaceratum: Cæsaris auctoritas con-
 tempta, ejusque hæreditariæ ditiones
 fuerint incendiis & rapinis devastatæ,
 totaque Germania imminentis rainæ
 periculo exposita. In tantis vero malis
 Cæsari id supersit solatii, quod nec
 ipse, nec ejus Prædecessor Mathias
 perniciosis hisce molitionibus quicquam
 causæ dederit, sed omne malum ab
 iis fuerit conflatum, qui sectas suas
 violentiis, & seditionibus propagare
 decreverant, quos tamen Cæsar pater-
 nis monitionibus, pacis tractationibus,
 quinimo etiam necessitate compulsus
 minis & pœnis ab iniquissimæ causæ
 patrocinio avertere conatus est. Nunc
 ergo Cæsar a congregatis Principibus
 petat, ut de reddenda tandem per Im-
 perium pace, necnon Daniæ Rege a Pa-
 latini defensione avocando, & de sup-
 petiis

Sæc. XVII. petiis in bellum, si pax desperata esset.
A. C. 1627. corrogandis, ac sumptuum damnorum-
 que compensatione, in commune con-
 fulerent. Postea Moguntinus Elector
 de firmæ pacis mediis, necnon de op-
 portuna ingravescentibus Imperii malis
 occurrendi ratione, pacemque violan-
 tium castigatione deliberandum esse pro-
 posuit. Petebant insuper Augustanus,
 Constantiensis & Wormatiensis Episcopi,
 aliique Abbates & Prælati, ut bona
 Ecclesiastica, quæ post Religionis pa-
 cem eis ab Onolspacensibus & Wirtem-
 bergicis fuere erepta, redderentur:
 præter hæc Protestantes de Calvinianis
 in Imperio tolerandis, de novis vici-
 galibus, de Virodunensis Episcopi,
 necnon Argentinensis Capituli, ali-
 rumque causis agi petebant.

Priorat.
 Guald. Hist.
 Ferd. II.

§. LXXI.

*Gallici Oratoris propositio, ac El-
 ectoralis Conventus responsum.*

Aderat quoque Marchevillus Comes
 Gallicus Orator, qui Regis sui no-
 mine hæc exposuit: „Non sine mœrore
 „Rex meus mala, quæ toti Germaniæ
 „ex præsentis belli motibus imminent,
 „prævidit, ut igitur sinceræ suæ erga
 „Imperii Principes sibi vicinos ac soci-
 „dere junctos voluntatis testimonium
 „daret.